



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illustrium Virorum Poemata**

**Amstelodami, 1672**

De Eodem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11215**

Ubi hæc dedere dicta, nona Virginum  
Chorum iubet filere, & una concinens  
Lyræ maritat altiore carmine.

## D E E O D E M.

**E**Rgò inexplèto miseris flagello  
Diræ agunt gentes? Piget heu finistram  
Tam diu sortem doluisse, & orbis

Fata ruentis.

Vidimus campo Libitinam aperto  
Huc equis illuc volitare nigris,  
Quæque Gradivi solüisset ardor

Offa legentem.

Decolor tabo Sicoris, Padusque  
Testis, & ripâ Thamefis cruentâ,  
Magnaue adversus Thamefim resolvens

Ostia Rhenus.

Turbine hinc nostras Oriens citato  
Acer in clades ruit, hinc avorum  
Cimber ulcisci cupidus Latino

Sanguine manes.

Hinc levi frontem redimita culmo  
It Fames circùm, sequiturque Pallor  
Tristis, & scisso pavidus capillo

Luctus euntem.

Sed per hæc ardens init astra Virtus,  
O datum Europæ decus, & levamen  
Dulce, ALEXANDER, miserante fessas

Numine terras!

Monstra si tellus manibus negasset  
Herculis, magnus latuisset heros,

Nec



Nec suo audisset resonare Tuscum

Nomine litus.

Tu bonæ fructus revehes benignus

Pacis, & plenis Cererem manipulis;

Te sacrum doctæ Tiberim revifunt

Vindice Musæ.

Flectere infuetum tibi cerno victos

Poplitem Parthos, Arabasque fracto

Supplices arcu dare thura nostris

Mascula templis.

Nam comâ latè viridante **QUERCUS**

Montis infedit juga Vaticani,

Totum ut humanum genus hospitali

Protegat umbrâ.

Vos **ALEXANDRO** gladium sequestro

Ponite, & motus animi calentes:

Jam satis cædis, cinerumque: ferro

Parcite Reges.

Cur in infontùm malè pertinaces

Urbium casus acuuntur enses,

Justiùs Thracum quibus imminentùm

Turba periret?

Qui super campis glacialis oræ,

Italùmque arvis, pelagoque fufus,

Barbaram fanguis potuiffet omnem ex-

Scindere gentem.

Jam pio tandem sociate fortes

Fœdere in Creten, Solymamque dextras.

Ite victores pia vota magno

Solvere buſto.

Ite: Naupaſti recubans in antro

Nuper auditus graviore Triton



Præscius conchâ cecinisse fracti  
Colla Tyranni.

Thraciæ vobis animæ faventes  
Carbasa in Syrtes inimica vertent.

CHISIUM fidus reget omne certâ  
Luce periculum.

## D E E O D E M.

CLades furentis quisquis Europæ graves  
Abominatus, atque Christiadûm (nefas!)  
Contaminatas scelere civili manus,  
Multâ rogasti Numen iratum præce,  
Rediret ægris alma pax mortalibus,  
Et qui profanis mutuam in stragem duces  
Aguntur odiis, fœdere inter se pio  
Juncti in superbos arma Thracas verterent;  
Quisquis reversam cernere optasti diu  
Cornu beantem divite arva Copiam,  
Reducefque cum sorore Pietatem ac Fidem,  
Et ad antra Cyrrhæ jam diu silentio  
Tristi jacentes, & recusantes lyram,  
Rursum canentes fontis ad caput sacri  
Audire Musas; quisquis Urbem redditam  
Decori intueri, prisca quod virtus patrum  
Paravit, artibusque florentem bonis;  
Aras corollis, eia, consternas pius,  
Summoque gratus vota perfolvas Deo:  
MAXIMUS habenas rerum ALEXANDER teneb.